



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

II. De suspectis de hæresi, & eorum pœnis; vbi etiam de hæretico merè
externo sine hæresi interna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

An punian-
tur pœna pri-
uationis be-
neficiorum.

posita diximus *diff. 23. sect. 4. in principio*. Item puniuntur pœna priuationis beneficiorum, quæ habetur in dicto §. *credentes*. Quæ pœna intelligitur de beneficiis postea accipiendis, ut de hæreticis diximus *dicta. sect. 4.* Quoad antea verò acquisita, licet multi dixerint, ut ibi vidimus, ab hæretico, ipso facto, perdi tulum; Suarez tamen *dicto num. 15.* fatetur, quidquid sit de hæreticis, fautores non amittere beneficia antea obenta, ante priuationis sententiam, quod etiam Couarrui. & Penna ab eo citari notant.

21
An ipso iure
pœnam infamie incur-
rant.

Alia est pœna infamie, quam pœnam non incurrit ipso iure, nisi per annum obdurescant, ut habetur in dicto §. *credentes*, ubi sub eadem conditione denuntiatio, & obdurescentia sunt intestabiles, & inhabiles ad publica officia, & ad successionem hereditariam, & ad proferendam sententiam in iudicio, ad electionem etiam actiuam, ad testimonium ferendum, ad aliquem citandum, ut ipsis respondere teneatur, ad patrocinandum, si fuerit aduocatus, ad instrumenta conficienda, si fuerit tabellio, quæ omnia ibi videri possunt, & apud Castrum Palao *dicto puncti. 1. §. 11.*

SECTIO II.

De suspectis de hæresi, & eorum pœnis;
ubi etiam de hæretico mere ex-
terno sine hæresi in-
terna.

22
Tres gradus
in suspicio-
ne de hæresi.

Tres gradus assignantur communiter in hac suspitione, prima dicitur levis; secunda grauis, seu vehemens; tertia violenta. Suspicio levis dicitur, quæ oritur ex indicibus, ex quibus aliquando, sed raro concluditur hæresis crimen. Magna seu vehemens dicitur, quæ oritur ex indicibus frequenter hæresim concludentibus. Violenta denique dicitur, quæ moraliter æquiualeat sufficienti probationi, præsertim quando à iure approbatur, & affertur secum præsumptionem, quæ vocari solet iuris, & de iure: cōtra quam non admittitur directa probatio, ut constat ex cap. *contra Christianos*, cap. *Quicumque*, cap. *cum contumacia*, cap. *filius*, de hæreticis in 6. cap. *Excommunicamus*, §. *qui autem*, de hæreticis. Admittitur tamen probatio indirecta, quæ quis non intendit enervare vim illationis ut ita dicam, quæ ex illis indicibus præsumitur hæresis, sed intendit affirmare, & negare ipsa indicia, v.g. probando testes falsum deposuisse, vel aliter indicia non recte probati, nec esse vera.

23
Exempla ha-
rum suspicio-
num.

Exempla harum suspensionem plura affertur solent, ex quibus potest de aliis iudicari. Suspicionem leuem contra fidem generat reiteratio Sacramenti non reiterandi; Missas celebrare, vel confessiones audire sine sacerdote; secundam uxorem ducere, viuente priori, poenitentes in confessione ad turpia sollicitare, & his similia, quæ non solum secundum se, sed etiam ex lege ita statuente reddunt hominem leuiter suspectum de hæresi: sunt enim pleraque alia, quæ licet æquè reddant suspectum, quantum est ex se, non tamen statuuntur à lege ad hunc effectum, ut de homine corruptis omnino moribus, & sine

vlla conscientia ratione viuenti suspicio esse potest quod non sanè de animæ immortalitate, & altera vita sentiat.

Vehementis, seu grauis suspensionis exempla sunt citatum ad respondendum in causa fidei non comparare, impedire scienter sanctæ Inquisitionis officium, vel illud impediens præstare auxilium: hæreticos citatos ab inquisitoribus instruere, quomodo celare, & negare sua crimina debeant: hæreticis favere, vel etiam cum iis specialissimam familiaritatem contrahere. Hæc & alia inueniuntur apud Eimericum. 2. *parte directi. q. 56.* & alios, quos affert Castro Palao *dicto. tract. 4. diffinit. 7. puncti. 1. numer. 2.* Aduerte tamen, ob eadem crimina, & indicia in aliquibus locis Reum obligari ad abiurandum de leui, propter quæ in aliis obligatur ad abiurandum de vehementi, ut sæpe obseruat Diana 4. *parte in tract. illo 7. de pœnis delictor. &c.* Quod mirum non debet videri, quia totum hoc ex prudentis arbitrio dependet, qui pensatis circumstantiis delicti, iudicare debet, an leuem, vel grauem suspensionem hæresis generent. Possunt autem alij aliter iudicare: tum quia indicia eadem possunt ad utrumque iudicium dare fundamentum probabile: tum etiam quia idem delictum in vno loco maius fundamentum præbet, pro diuersa gentis, & provincie conditione, quam in alio: sic enim in provinciis hæresi infectis elus carniū in diebus prohibitis magis reddit suspectum de hæresi, quam in provinciis Catholicis.

Violentæ suspensionis exempla esse solent, consolationem, vel communionem ab hæreticis accipere: excommunicatum in causa fidei, per annum in excommunicatione infordecere, item post hæresim, & abiurationem cum hæreticis conuersari, cōsque recipere, & eis favere: de quibus, & aliis signis agunt doctores, quos congerit Castro Palao *dicto puncti. 1. numero. 3.*

His suppositis, regulæ aliquæ assignari solent, circa pœnas horum suspectorum, quæ ferè ad forum exterius spectant, nam quoad forum internum, regula generalis est, quod qui scit, se non fuisse hæreticum, non ligatur in conscientia hæreticorum pœna, quod intelligi debet, quatenus est pœna hæretici: potest enim ligari pœna aliqua, non propter hæresim, sed propter crimen illud, quod eum reddit de hæresi suspectum, cui crimini secundum se statuta sūt aliqua pœna: v.g. fautor hæreticorum sit suspectus de hæresi; & quamvis in conscientia non sit hæreticus, incurrit tamen pœnas fautoribus hæreticorum statutas, qualis est excommunicatio ipso facto Papæ reueruata. Sicut è cōtra, qui est de hæresi suspectus, & in iudicio non conuincitur, nec damnatur, adhuc tamen in foro conscientie ligatur pœnis hæreticorum, si reuera hæreticus fuit, & hæresim aliquo signo sufficienti externo significauit. Nam licet id non fuerit factum, eum condemnandum in foro externo, quia vel signum illud non potuit sufficienter probari, vel quia signum erat ambiguum, & æquiuocum, & ideo potuit tergiversatione aliqua negari animus hæreticus, quo reuera actus externus factus fuerat: re tamen vera, si ex animo interno processit, & de se erat sufficiens ad hæresim significandam, etiam non omnino clare, &

24
Exempla sus-
picionis ve-
hementis.

Exempla sus-
picionis vio-
lenta.

25
Regula ali-
que circa pœ-
nas suspicio-
rum de hæresi
quoad forum
internum, &
externum.

fine

sinè æquiuocatione, coram Deo iam fuit hæreticus externus, & pœnas hæreticorum incurrit. De quo vidgri potest Suarez in *presenti disp. 24. sect. 2. num. 2. & 3.*

26 Quoad forum verò exterius, Prima regula pro suspitione leui esse solet, quod taliter suspecti non possunt pœna ordinaria puniri, nec vlla alia propter hæresim: quia leuia indicia, & leues coniecturæ non sufficiunt ad condemnandum Reum, vt notant Simancas, Eymericus, Farinacius, & alij, quos affert Castro Palao *vbi supra num. 4.* Hujus regulæ obstat videtur lex 2. Codicis de hæreticis, cuius hæc sunt verba: *Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latius aduersus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel leui argumento à iudicio Catholice religionis, & tramite detecti fuerint deniare.* Vbi videtur pœnis subiici, qui leuibus etiam indicibus suspectus redditur. Cæterum sensus legitimus illorum verborum, vel leui argumento, est alius, nempe in hoc crimine non dari leuitatem materiæ, sed eam etiam, qui in re leuissima à vera fide discedit, subiicere omnibus hæreticorum pœnis. Sic enim communiter apud Latinos *argumentum*, idem est ac *materia*, iuxta illud Ciceronis, *quoniam nullum scribendi argumentum mihi relictum*: & ex contextu ipso eiusdem legis constat, non posse *argumentum* ibi accipi pro sola coniectura: nam subditur, *à iudicio Catholice religionis, & tramite detecti fuerint deniare.* Non ergo loquitur de suspectis, sed de illis, quos constat contra fidem sentire in materia, quæ aliàs videri posset leuissima.

27 Dixi, non posse hunc puniri pœna aliqua, propter hæresim: nam propter delictum illud, in quo suspicio hæresis fundatur, non planè probatum fuerit, & delictum pœna dignum sit, puniri potest, vt significat Suarez *vbi supra, numero quarto & quinto*, & in praxi ita debere fieri, docet Castro Palao *dicto puncto primo, numero 8. & nono*, vbi aliis relatis, dicit eum condemnari ad abiurandum de leui, & ad pœnam pecuniariam, vel aliam etiam grauiorem pro qualitate delicti attentis circumstantiis personæ, criminis, & aliis.

28 Pro suspectis vehementer, quamdiu delictum non plene probatur, regula etiam est; non posse affici pœna ordinaria hæretici, cum de hæresi non constet. Condemnatur tamen ad abiurationem de vehementi, & ad pœnam correspondentem delicto in quo fundatur suspicio vehementer de hæresi. Atque ita in praxi observari testatur. Castro Palao *vbi supra, numero, decimo*, nunquam tamen traditur Curie seculari, nisi se ostendat contumacem, & nolit abiurare nec purgationem admittere, nec Ecclesiæ satisfacere; tunc enim habetur pro conuicto, & suspicio vehementer transit in violentam, vt notat Suarez *dicto numero quinto*, vbi aduertit, eiusmodi suspectos ob eandem rationem non priuari beneficiis obrentis, quia non subeunt pœnas ordinarias hæreticorum.

Denique de suspitione violenta regula generalis est, vt habeatur pro probatione, nisi purgetur, vel ex circumstantiis ita minuat, vt iam non sit violenta, sed vehementer. Ideoque notat Suarez *numero quarto* duplicem abiurationem solùm solere imponi, vnā de leui, alterā de vehementi, nam ob violentam

non fit abiuratio. Aliam tamen rationem huius praxis indicat Castro Palao *vbi supra, numero duodecimo*, quia nimirum licet hæc regula verissima sit, modus tamen procedendi in iudicio aduersus sic suspectum, idem est, ac aduersus suspectum de vehementi, vt aliis relatis testatur Farinacius de *hæresi, questione 187. num. 51.*

Dubitatur primò, An ob suspitionem de hæresi, incuratur irregularitas; Respondeo, irregularitatem hæreticorum propriam non incurri, posse tamen incurri aliam, si annexa sit delicto in quo fundatur suspicio, vt si fuerit fautor hæreticorum, qui etiam vt supra vidimus, incurrit irregularitatem, quando est notorius. Incurrit etiam irregularitatem infamie ex notorietate criminis resulantem, quæ tamen irregularitas cessat purgata suspitione, & ablata infamia, vt cum aliis quos afferunt, docent Sanchez *lib. 2. in Decal. c. 25. num. 10.* & Suarez *vbi supra num. 2.* & alios congerit Diana 3. parte *trati. 1. de irregularitate resolut. 47. & 48.* Vnde eorum modo dicendum erit de inhabilitate ad noua beneficia acquirenda, quæ non aliter incurritur per meram suspitionem, nisi quatenus contrahitur irregularitas, vt notauit idem Suarez *num. 6.* Quod intelligo, nisi crimen ipsum, in quo fundatur suspicio, afferat secum pœnam inhabilitatis ad officia, & beneficia.

Dubitatur secundò, An ob suspitionem de hæresi possit aliquis capi, & carcerari, & possit contra ipsum procedi. Aliqui negant etiam in suspitione ita vehementi; Simancas, & Penna, quos affert Suarez *vbi supra num. 4.* & quando suspicio est leuis, idem docent alij quos affert Castro Palao *vbi supra num. 6.* quia inquisitionis, & examinatio de alicuius fide fieri non potest, nisi quia de eius recta fide dubitatur: ob leues autem coniecturas non licet dubitare de aliquo, an sit hæreticus. Alij dicunt id fieri posse cum persona vili, vel improba, non verò cum homine honesto, nobili, religioso, qui grauius læditur, si ita examinetur in fide. Quare nec etiam homo vilis ob leuem suspitionem carcerari potest.

De re ipsa non videtur posse esse dissensio: si enim non esset illud crimen, nisi illud de quo est suspicio leuis, non posset ob illam solam fieri inquisitio, & processus, nedum capta. Quando tamen suspicio illa fundatur (provt communiter contingit) in alio delicto graui, tunc merito carceratur homo ratione huius delicti, & de illo principaliter examinatur, & inquiritur, ac si necesse fuerit subiicitur tortura: indirectè autem, & consequenter, ac accessorie examinatur de fide, per quod examen nulla ei sit iniuria, cum non significetur aliud dubium, vel alia suspicio circa eius fidem, nisi, quam leges habent ex illo delicto, & ideo postquam condemnatur circa delictum principale, imponitur ei abiuratio de leui: si verò delictum principale non esset graue, non deberet ob solam suspitionem leuem carcerari, vel contra ipsum inquiri circa fidem, vel hæresim. Videatur Suarez *dicto num. 4.* & latius Castro Palao *dicto puncto 1. num. 5. & seqq.*

Dubitatur aliqui, an qui bis interfuit conuentionibus vel conuentibus hæreticorum, sit suspectus hæresis.

Regula pro suspectis vehementer quamdiu delictum non plene probatur.

Regula generalis pro suspitione violenta.

SECTIO III.

De schismaticis, & eorum
pœnis.

Quando schismatici hæretici sunt, vt regulariter contingit, eadē pœnas habent quas hæretici, potest tamen aliquis esse schismaticus, quin sit hæreticus: Est enim schisma disunctio, qua quis se ab unitate Ecclesie separat, in quantum est quoddam corpus mysticum ex vniuersis fidelibus, & Romano Pontifice tanquam capite constans. Hæc autem disunctio fieri potest, vel separando se à capite, & ab aliis membris, vel separando se à solis membris, vel etiam à solo capite. Difficile est, vt quis se à membris solis per schisma separat, & non à capite; non est tamen impossibile, nam sede vacante posset aliquis per schisma se subtrahere à reliquo Ecclesie corpore, & nolle ei obedire in iis, in quibus tunc obedire tenetur, nec cum eo coniungi ad actiones Ecclesie communes. Contra hos, qui se separant à corpore Ecclesie, non tamen à capite, non habere locum pœnas schismaticorum, docet Hurtado *disput. 168. de charitate sessione prima §. 4.* quia id crimen vix potest contingere, nec oportuit pœnis coërceri: id tamen bene explicat postea *sess. 3. §. 14.* vt solum verum sit quando expressè retinent unionem cum capite, alioquin enim tacitè, & implicite videtur recedere à Pontifice, cui cetera membra connectuntur, & cui in omnibus consentiunt: quod mihi etiam non displicet, quia sicut, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se; ita quæ vniuntur vni tertio sunt adhuc vni inter se saltem mediatè: sicut etiam è contra, propter eandem rationem non potest aliquis separare se à capite, quin tacitè se separet à reliquo corpore, quod capiti manet vnitum.

Notant autem Doctores communiter. Primò hanc separationem debere esse cum rebellionē erga Pontificem in spiritalibus, & prout exercet potestatem Pontificiam: quare non sufficit nolle obedire in aliquo speciali præcepto v.g. circa ieiunium, vel confessionem annuam: neque enim est rebellis in Principem, qui aliquam eius legem violat, sed qui excutit iugum, & non vult illi subiici: Secundò neque esse schismaticum, qui Pontifici non obedit vt principi temporali, nec exhibet illi subiectionem in ciuitate domipij temporis Pontificij. Erit quidem ille rebellis, non tamen schismaticus, quia non negat Pontifici subiectionem debitam vt Pontifici. Tertio neque erit schismaticus, qui negat Pontifici subiectionem, quia probabiliter dubitat de eius electione legitima, vel de eius potestate: videatur Sanchez, qui alios congerit *libr. 2. in Decalog. capit. 36. numero tertio, & quarto, & Castro Palao primo tomo tractatu sexto, disputatione quarta, puncto quinto.* Quarto. Neque esse strictè schismaticum in ordinē ad pœnas Schismaticis incurrendas, qui separat se à proprio Episcopo, eique obedientiam negat: quia hic manere adhuc

culpe suspectus vehementer de hæresi. Affirmare videntur Repertor, inquisit. Zanchinus, & alij apud Dianam quarta parte tractatu octauo de officio & potestate inquisitorum resolutione nonagesima tertia. Ipse tamen cum aliis id negat dummodo id non fiat in provinciis Catholicorum, in quibus, si quis eiusmodi conuenticulis occultis affuisset, & ea non denunciaret inquisitoribus, fieret vehementer suspectus de hæresi, & abiurare deberet, nisi eum ignorantia excusaret, vel alia circumstantia, aut personæ qualitas concurreret. Pro qua sententia affert Suarium disputatione vigesima quarta de fide sessio 3. numer. 3. Ego huic sententiæ assentior, sed locum illum Suarij nec ibi, nec in sectione 3. præcedentis disputationis inuenire potui.

Restat dicere de iis, qui exterius negarunt fidem, quam tamen mente, & corde firmiter retinuerunt, atque ideo non sunt hæretici, nec hæreticorum pœnis ligantur. De quibus, quod attinet ad forum iudiciale qualiter torquendi, & puniendi sunt, tractant Doctores, quos circa hoc punctum accuratè congerit Diana dicta parte quarta tract. septimo de pœnis delictorum, &c. resolutione tertia vbi totam praxim huius delicti puniendi proponit. Nunc solum agimus de foro interno, in quo Apostatas, & hæreticos merè externos, qui fidem fidei negarunt exterius esse irregulares, docet Sanchez dicto libro secundo capite vigesimo quinto numero sexto Suarez Maiolus, & Viardus, apud Sanchez ibi, quibus adde Sanctarellum, & Facinacium, quos affert, & sequitur Diana quarta parte tractatu secundo de irregularitate resolut. 49.

Alij tamen dicunt hos non esse irregulares, nisi irregularitate orta ex infamia ob notorietatem criminis notorij: ita Nauarrus, & Azor apud Sanchez ibi numer. quinto quod Azor intelligit siue sponte, siue metu coacti id fecerint: eandem sententiam probabilem reputat Filiucius tom. primo tract. vigesimo cap. nono, numero centesimo trigesimo & Diana dicta resolutione quadragesima nona vbi affert etiam Bonacinam indicantem huius sententiæ probabilitatem. Et quidem, si de hæreticis occultis probabile est non incurtere propriam irregularitatem, idem dicendum erit à fortiori de his, quando crimen est occultum. Quando verò est notorium, ad minus incurrun-
t aliquam suspicionem, & inhabilitatem, vt promoueantur vterius, & rursus, ne sine dispensatione Episcopi possint in susceptis ministrare, imò nec ex Episcopi dispensatione in ordine sacerdotali, quod ad minus videtur haberi ex cap. Presbyteros, distinctione quinquagesima, vt facit Filiucius vbi supra num. ducentesimo trigesimo primo. Qualiter verò in foro externo recipiantur, & puniantur hi Apostata, vel hæretici externi ficti, & qualem suspensionem contrahant, videri potest Castro Palao dicto tract. 4. disp. 7. punct. 1. in fine.